

1. Benner s. Joh. Henr. / Diss. de gemitu Ecclesie  
 suspirantis libertatem, Gissa 1737.
2. Berend s. Joh. Franc. / Diss. de primariis quibus-  
 dam viciis Syriacae virtutibus in  
 quorundam N. T. locorum conspicuis, Halle
3. Bernholdi s. Joh. Paeths <sup>1732</sup> / Diss. de causis cur  
 homo Christianus in hac vita ad perfectam  
 sanctitatem pervenire non possit. Altorfi  
 1738.
4. ——— / Diss. de simplici typo Christi, Altorfi  
 1740.
5. ——— / Diss. de fidei formularum iustitia,  
 Altorfi 1737.
6. ——— / Diss. de Christianae Ecclesiae nomine.  
 Altorfi 1731.
7. ——— / Diss. de jejunio spirituali,  
 Altorfi 1730.
8. ——— / Diss. de salvanda per filiorum  
 generationem inebriare. Altorfi
9. ——— / Diss. de prudentia <sup>1735</sup> pastorali, Altorfi  
 1737.

18<sup>o</sup>  
15  
Θ. Δ.  
DOXOLOGIAN ECCLE-  
SIATICAM  
GLORIA PATRI

SVB FESTVM SS. TRINITATIS

D. IIII. IVNII

A. ER. CHR. c1o1o<sup>o</sup>ccXXVII

*PRAESIDE*

IOH. BALTASARE BERNHOLD

S. THEOLOG. DOCT. ET PROF. PVBL.

FACVLT. THEOL. H. T. DECANO

*IN ACROATERIO THEOLOGICO*

*DISPVTABIT*

*RESPONDENS*

IOH. GEORG. FRIDERICVS ROSTEVSCHER

ROTENBVRGO FRANCVS.

---

*ALTORFI*

TYPIS IOD. GVIL. KOHLESH ACAD. TYPOGR.

SACRO PATRIAE PATRVM CONCILIO  
VIRIS  
MAXIME GENEROSIS PRVDENTISSIMIS  
AMPLISSIMIS

DOMINIS  
CONSVLIBVS  
SENATVIQ.  
VNIVERSO

INCLVTAE S. R. I. REIPVBLICAE  
ROTENBURGENSIS  
DOMINIS AC PROMOTORIBVS  
SVIS BENIGNISSIMIS  
DEMISSEQ. COLENDIS

HANC OPELLAM ACADEMICAM  
PIETATIS ET OBSEQVII CAVSSA  
OFFERT

RESPONDENS

IOH. GEORG. FRIDERICVS ROSTEVSCHER.



ש"נ

DE

GLORIA PATRI.

§. I.



Ene olim, orthodoxus in plerisque omnibus,  
*Iohannes Damascenus: εἰς ἔστιν ὁ Θεός, ὑπὸ τε πα-*  
*λαιᾶς διαθήκης καὶ καινῆς κηρυττόμενος, ὁ ἐν τριάδι*  
*ὑμνούμενός τε καὶ δοξαζόμενος. h. e. Unus est DEVS,*  
*et a veteri, et nouo Testamento praedicatus, qui in*

*Trinitate hymnis celebratur, et glorificatur. O. F. lib. 4. Cap. 18.*

Scilicet DEI gloria finis noster absolute ultimus rectif-  
 sime statuitur, ad quem omnia, quae demum cum-  
 que uel agimus, omittimusue, uel dicimus, uel medita-  
 mur, sunt referenda. Quo pertinet scitum *R. Iose* istud :

**וְכָל מַעֲשֵׂיךָ יְהוָה לִשְׁמִי שְׂמִי** h. e. *denique omnia opera tua*  
*fiant ad gloriam Numinis coelestis; in Pirke Abhoth, cap. 2. th. 12.*

ubi pulcre admonet *Glossa Bartenoriana*, hoc comedenti-  
 bus, bibentibus, operaque alia solita patrantibus, respi-  
 ciendum esse unice, non ut cuticulam alant, sed uti iussa  
 heri, creatoris conseruatorisque sui, exsequi ualeant.  
 Prorsus utilia sunt haec monita, praeceptaque sobria:  
 qualia fundamento Prophetarum et Apostolorum Chri-  
 stiani superstruimus, ex Coloss. 3, 17. 1 Corinth. 10, 31.  
 Apocal. 14, 7. Deuteron. 32, 3. quin immo ex scripturis  
 sacris ubique locorum haurimus. Quid enim est *Psal-*

*morum liber*, Scripturae compendium, nisi hymnologia  
 exquisitissima? id quod uel ipsum nomen hebraicum,  
**תְּהִלָּה** aut **תְּלִילִים**, enunciat. Quid uero totus *Biblorum*  
*codex* aliud nos poscit, quam ut agnoscamus, summisque

A 2

laudibus

laudibus euehamus, DEI nostri potentiam, ueracitatem, benignitatem, iustitiam, sanctitatem, perfectionemque in omnibus summam, ac iugiter depraedicandam?

## GLORIA PATRI §. II.

Verum ea penes nos dubio carent. Atque utinam id omnes agerent, id curae mortalibus cordique unum esset, quod cunctam DEO gloriam relinqueret, atque uindicaret! Quam uellem, idem constans obseruasset is, quem modo dixi, *Damasceus*: quando nunc quidem negare nemo potest, si DEO uni hymnos, et similia religiosi cultus indicia ac officia reliquisset, fieri non potuisse, ut uitando iconoclasticam intemperiem, incidisset in execrabilem iconolatrarum superstitionem, qua agitatus *de sanctis imaginibus* orator grandia nimis et absurda edisseruit, qua item, scripto *in Deiperam carmine*, curam populi Christiani, peccatorum condonationem, animarum salutem, beatitatem perpetuam, Virginem sanctissimam, ausu plusquam poetico, poposcit. Sed dedit hanc seculum Damasceni labem, ut bonus hic Ecclesiae scriptor Martini nostri *Chemicii*, aliorumque, censuram meruerit; neque laudari admodum possint, nisi diuersum ab eo, quod ad gloriam DEI non temerandam attinet, sentientes et molientes. Quare repetere nihil prohibet, quae ore rotundo rescripsit Petro Cotoño Iesuitae *Daniel Chamierus*, *opp. Iesuitic. p. 15. edit. Amberg. 1604.* suo hunc in modum: *Δαμασκηνός δι' ἰουδαίους λόγος· ὃν οἶδα καὶ νεώτερον ὄντα, καὶ περὶ τοῦδε τοῦ κεφαλαίου οὐδὲν ὑγιὲς λέγοντα·* h. e. *Damascenum nihil sanum, quem et recentiorum esse noui, et in hoc doctrinae gemere nihil sanum, nihil sincerum proponere.*

Enimuero haec, sub initium scriptionis, non alio fine recito, quam ut suam rectius animatis hymnopolis et hymnophilis dignitatem ac laudem illibatam seruem: deinde, uti exemplo talium me, et alios, ad canendas DEO laudes, prouocem: denique, ut aditum mihi patefaciam, ad propiorem *ecclesiastici hymni* considerationem, qui est: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto; sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in secula seculorum. Amen.* Hanc enim *δοξολογίαν*, quod ad *ortum*, usumque pro ueritate tuenda et exercenda pietate multiplicem, meditari breuiter, articulis statim subsequuturis, fert animus. Ante uero, quam ad hoc accedam, mea facio *Eusebii de uita Constantini, lib. 1. Cap. XI.* ista: *κεκλήσθω δὲ θεὸς βασιλεὺς, οὐράνιος τε συνεργὸς ἡμῶν ἐμπνεῖτω λόγος.*

§. III.

ARTICVLVS PRIMVS HISTORICVS  
ATQVE DIVINATORIVS.

**I**Taque notissima est, uulgatissima, sanctissima, suauissima, tradita nobis a maioribus, in Ecclesia haec Cantilena: GLORIA PATRI ET REL. Sed dubia eiusdem, aliqua ex parte, aetas; auctores primi, cantoresque, haut ita explorati. Videbo tamen, ut aliquid simillimum uero, ex praestantissimorum scriptorum nunc testimoniis, nunc querimoniis eliciam; atque si non certam formulae, legitimorumque istorum uerborum, epocham definire, uenerandam certe *suauisoni carminis antiquitatem* mirari et rimari queam.

§. V.

Testibus, ubi de historica ueritate agitur, opus est, nihil hic ingenio, nihil fictionibus, tribuendum. Prodeat

clarissimus hodie scriptor, *Caspar Caluocrius*, qui Ritual. Ecclesiast. tom. 2. p. 664. habet sane, ad rem praesentem facientia. Ergo hymnum, de quo loquimur, adhibuere ueteres, sub finem Psalmorum, et alias, quo sonora uoce Deitatis in Personarum Trinitate Vnitatem, paremque Trinitatis gloriam et honorem profiterentur. Pro uespertino lumine, populum Christianum gratias agere solitum hac formula: ἀνοῦμεν πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα. *Basilius M.* commemorat ad Amphilochoium Iconiensem libro de Sp. sancto, cap. 29. Quo pertinet, quod ad incensum lucernae, hymno VI. libri cathemerinon, sic *Aurel. Prudentius Clemens*:

Ades, Pater supreme,  
quem nemo uidit unquam,  
Patrisque sermo Christe,  
et Spiritus benigne.

O Trinitatis huius  
uis una, lumen unum,  
DEVS ex DEO percennis,  
DEVS ex utroque missus.

Fluxit labor diei:  
redit et quietis hora. K. T. E.

Hoc enim Prudentiani hymni exordio, doxologiae huius christianae antiquitas confirmatur. Porro SS. Trinitatis celebratio diligenter in Ecclesia retenta fuit, pro custodia doctrinae Nicaenae, contra *Arianos*, qui eandem Filio et Sp. sancto, quam Patri, non deberi gloriam putantes, hanc leguntur doxologiae usurpasse, formulam: Σὸι τῷ πατρὶ ἡ τιμὴ καὶ ἡ δόξα, διὰ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ ἐν τῷ ἁγίῳ πνεύματι. Qualem praecipue laudat *Philosorgius* historicus ὁ ἀρειομανίτης, monente *Io. Casp. Suicero*, in thesauro Ecclesiastico, V. δόξολογία. p. 951. Constantio autem Imperatore, Pa-  
trem



trem in Filio celebrasse, traduntur *Sozomeno, Hist. Eccles. lib. 3. Cap. 19.* Ceterum Graecis fuisse duplex memoratur *δοξολογία μεγάλη* (magna) nempe hymnus Angelicus: Gloria in excelsis; et *μικρά*, (parua) quae saepius in fine Psalmorum repetitur, nempe: Gloria Patri, et rel. Quod nos conducet *Carolus du Fresne, in Glossario Graecitatis, V. Δοξολογία* p. 344. edit. Lugd. 1688. Cuius paruae doxologiae originem in Ecclesia latina ad *Hieronymum* aut *Damasum* potius referunt: de quo post paullo erit dicendi locus. Legendus Ioannes Bona, de diuina Psalmodia, Cap. XVI.

§. VI.

Prius uero, quam id fiat, non piget adscribere, quae et ortum, et argumentum, et fata pericopes meditandae, *ως εν συνίψει* sistunt, uerba *D. Iohannis Boys*, Decani olim Cantuariensis, exstantia in ipsius *Schrift: Latern/ edit. Brunswic. 1685. p. 10.* Dieser Gesang ist sehr bekannt und sehr alt. Ramus gestehet beydes gar gerne. Er ist eine weitläufige Erklärung der vortreflichen Worte/ Röm II/ 35: Von Ihm/ und durch Ihn/ und in Ihm sind alle Dinge/ Ihme sey Ehre in Ewigkeit/ Amen. Er wird deswegen in der Kirchen gebraucht/ unsere rechte Meynung in der Lehre von der heiligen Dreyfaltigkeit zu offenbahren. Wir müssen/ (spricht *Basilus*) wie wirs empfangen haben/ auch also taufen/ und wie wir taufen/ auch also glauben/ und wie wir glauben/ also auch die Ehre geben. In der Taufe brauchen wir den Namen des Vatters/ Sohnes und heiligen Geistes; wenn wir den Christlichen Glauben bekennen/ so thum wir dis unser Glaubens- Bekenntnis zu dem Vater/ Sohn und heiligen Geist; wenn wir Gott die Ehre geben/ geben wir sie dem Vater/ Sohn und heiligen Geist.  
Und

Und obschon die Anabaptistischen Antipodes, aus hoffartigem Gemütze/ allen andern zu widerprechen/ und sich nur selbst gerne reden zu hören / aus der Kirche alle öffentliche Verordnungen des heiligen Dienstes wollen verworfen haben; so siehet doch das Gloria Patri noch best/ und siehet/ gleich einem standhaften Martyrer/ in dem allergeringsten Zustande ganz unveränderlich aus. Was das alte Herkommen belanget/ so wollen diejenigen/ so noch am nächsten gehen/ daß es zu erst von Damaso A. D. 376. sey verordnet worden: Andere wollen/ daß es in dem berühmten Concilio Nicaeno, in Beyseyn 318. Bischöffen/ unter Constantino M. gehalten/ A. 320. sey gegeben worden. Phaebadius in libr. aduersus Arian. führet an/ daß es noch lanæ vorher in der Kirchen sey gebräuchlich gewesen. *Haec ille. Neque nunc de pluribus excitandis testibus laboro.*

§. VII.

Nimirum, inter ueteres ac recentiores conuenit de eo, quod doxologia nostra, saltem in se, si non qua literas et apices omnes, est antiquissima, atque ex aetate primitiuae Ecclesiae, Apostolicaque traditione secundum *Basilium*, ad nostrum aeuum propagata: nec de eo pii dissentiant, utrum doctrina hymni illius perpetua fuerit in populo christiano, nec ne? Sola restat quaestio: fueritne *Damasus* Romanus primus, qui, hortatore Hieronymo, legitima doxologiae huius uerba in cultum publicum recipienda decreuerit? an *Patres Nicaeni* decretum de rite hymno tali decantando promulgarint? an forte *Gregorius M.* ineunte Seculo VIII. post C. N. ecclesiastici cantus moderator et ordinator maxime illustris, de *Gloria Patri* legem quoque tulerit?

§. VIII.

§. VIII.

Equidem de his temere quid definire non ausim; usum tamen doxologiae, de qua sermo, non praecipue ad *Patres Nicaenos* refero, quibus etiam addita haec: *sicut erat in principio*, auctoribus tribuit *Baronius*, Concilio alicui *Vasensi* potius adscribenda; de quibus tale quid annotasse diligentissimum *Eusebium*, non inuenio. Vid. *D. I. VV. Ianus*, *notis ad Eusebii orat. de die dominico*, p. 59. Neque ad *Hieronymum*, *Damasumque* res omnis heic redit; quod mox probabo. Neque ad iusto, hac in parte, recentiorum unum prouocabo *Gregorium Papam*. Quin potius paullo altius rem expendam; *explosa* prius de *Hieronymo* fabula.

§. VIII.

Exstare apud *Hieronymum*, *opp. T. 4. f. m. 319.* epistolam, cui narratio illepidam omnis innititur; uerum est, nec tamen decet. Ut nihil dubii sit super, *apponam epistolam*, *Hieronymo stolide affectam*, de hac materia totam. *Beatissimo Papae Damaso sedis Apostolicae urbis Romae, Hieronymus supplex!* *Legi litteras Apostolatus tui, poscentes, ut secundum simplicitatem 70. Interpretum canens Psalmographum interpretari festinem propter fastidium Romanorum: ut ubi obscuritas impedit, apertius et latine trahatur sensus. Precatur ergo cliens tuus, ut uox ista Psallentium in sede Romana die noctuque canatur, et ut in fine cuiuslibet Psalmi, siue matutinis horis siue uespertinis, coniungi praecipiat Apostolatus tui Ordo: Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in secula seculorum, Amen. Istud carmen omni Psalmo coniungi praecipias, ut fides trecentorum decem et octo Episcoporum Nicaeni Concilii, etiam nostri oris consortio declaretur. Reliqua nil opus addere. Est uero iucundum lectu, ac propemodum necessarium,*

B

quod

quod magnus *Erasmus*, in  *censura epistolae praefixa*, de *Pseudo-Hieronymo* inter alia his uerbis iudicauit: *Nihil uereor, quantumuis sancte, deierare, non caruisse febrī, quisquis hanc scripsit epistolam.* K. T. E.

§. X.

Pari fere loco habeam, quando ad *Symboli Athanasiani* calcem additur *Gloria Patri*, apud *Lucam Lossium* in editione *Alcuini de S. Trinitate*. p. 212. Neque enim in aliis *Symboli* editionibus, quaeque in libris *symbolicis* approbantur, hanc *doxologiae* appendicem deprehendo: neque ipsam *Athanasianum* id est *symbolum*, quod tanto *Patri*, *Athanasio* inquam, uel adiudicari possit, uel soleat, aut *ecclesiasticam* utique *consuetudinem Antenicenam* comprobare aptum natum sit.

§. XI.

Mittam proin anxiam de *introducto doxologiae* nostrae usu *liturgico*, curam ac *inquisitionem*: audebo amplius quidpiam, atque *utilius*. Scilicet in eo sum, ut ostendam *usum hymni Gloria Patri* fuisse ac esse *perpetuum*, et *ecclesiae* omnium *aetatum* uerae *tritum* atque *acceptum*; sed moneo, me non de *syllabis* ac *litteris* gloriari, sed de *phrasi* ac *sententia*, *dictioneque* *sacra* et *ecclesiastica* *aequipollente*. Quam ob rem ad *parallelisimum cum Gloria Patri* *biblicum*, tum et *scriptorum ecclesiasticorum* *ueterum*, ac *doctorum*, *ueterumque* *sacrorum Poetarum*, *demonstrandum* *progredior*.

§. XII.

Ac *initio* quidem *ueteris Instrumenti* *tabulas* *intuentibus* *occurrunt* ea *generatim* *effata* atque *testimonia*, quibus *uerus Israelis* *deus* *summe* *beneficus*, *summeque* *gloriosus*, *describitur*, *religiosa* *eam* *ob* *causam* *celebratione* *di-*

ne dignus. Qualia sunt opus creationis, DEO triuni manifeste tributum, Genes. 1, 1. sq. Psal. 33, 6. quod DEVM mundi opificem concelebrandi materiam, praeter creaturas ceteras DEI filiis h. e. Angelis subministravit. Iob. 38, 7. coll. Psal. 136. et 148. et al. nec minus eductio populi ex Aegypto, Ies. 63, 9. 10. coll. Exod. 15. cum omnibus iis, quae per generalem, specialemque providentiam, pro demonstranda et dilaudanda sapientia, bonitate, iustitia, reliquaue sua perfectione, uerus ille rerum omnium, suorumque inprimis, dominus unquam patrauit. Nempe *ille gloria summa afficiendus, qui nobis, in V. T. quoque, tanquam creator, conservator, gubernator, dux, liberator, insignisque populi sui benefactor describitur, et adorandus proponitur.* Quum uero hic non sit alius, praeter aeternum in Trinitate unum DEVM; ut huic sub V. T. doxologia religiosa tribuenda fuerit, atque uindicata perpetuo sit, consequitur. Quo pertinent, quae nostri colligunt, ex notabili denominatione DEI Abrahami, Isaaci, et Iacobi; pariterque ex trina crebriori repetitione nominis יהוה et אלהים Numer. 6, 24. 25. 26. Psalm. 67, 7. 8. Nahum. 1, 2. Sachar. 1, 3. et praecipue Psalm. 67. cuius ingenuam dedit paraphrasin Lutherus noster: *Uns segne Batter ic.* Oculatis enim interpretibus, in his etiam Scripturae prophetae dictis opus est, non Iudaeis, qui in mysterio Trinitatis destinato hodie consilio coecutiunt, et u. c. de benedictionis sacerdotalis formula *יודען פרוס ערוס* afferunt, carnalia tantummodo mereque temporalia sapientes, in aliis uero litterae uim et perspicuitatem deserunt, unamque Deitatis personam celebrandam putant, non agnito eo, quem auctor orationis Manassae, siue is Pseudoclemens, siue alius extiterit, his alloquitur u. 16. uerbis: *Καὶ αἰνέσω σε διὰ πάντας πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς*

ζῶης μου ὅτι σε ὑμνεῖ πάντα ἡ δύναμις τῶν οὐρανῶν, καὶ σὲ ἔστιν ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας ἀμήν. Quibus magna hymni *Gloria Patri* portio continetur.

§. XIII.

Peculiari tamen modo huc quadrat *magna illa doxologia Angelica*, quam Iesaias suis ipsius hausit auribus, coetuique sacro etiam nunc ingeminandam scripto tradidit: ad quam saepe nostri, ob eximiam uim et sermonis perspicuitatem prouocant. Sic enim τῶν Seraphim, flammantium coelestiumque spirituum, alta uoce chorus concinit: קְדוֹשׁ קְדוֹשׁ קְדוֹשׁ יְהוָה צְבָאוֹת מְלֵא כְּכֹדוֹ Ies. 6, 3. Ex quo Seraphico concentu deriuandum τρισάγιον *illud*, quod est hymni genus in Ecclesia Graeca; quemadmodum pulcre annotat *Hugo Grotius*. Sed et Angelicum huncce hymnum repetitum legimus, paucis mutatis, *Apocal.* 4, 8. *Sanctus* Deus Pater, *sanctus* Filius, *sanctus* Spiritus sanctus in cunctis operibus, legibus et iudiciis suis, Dominus Deus omnipotens, quia haec tres personae unus DEVS omnipotens est. Quae est paraphrasis anonymi *Commentatoris in Apocalypsin circa A. C. 1357.* cuius librum edidit, e Sarmaticis Liuonicisque regionibus ad se missum, *Lutherus*, 1528. VVittembergae, testimonii de Antichristo ualde insignem. Vnde pulcra DEVM nostrum, et metonymica, denominatione Graeci appellant τὸ τρισάγιον, quo modo u. c. *Theophylactus Simocatta historiar. lib. 1. cap. 2.* uocem recitat angelicam: τὰ δὲ σοι, τιβέριε, τὸ τρισάγιον λέγει· οἱ τύραννοι τῆς ἀσεβείας ἐπὶ τῆς σῆς βασιλείας οὐ φοιτήσουσι χρόνοι. Vide *Carolus du Fresne* Glossario Gr. V. τρισάγιον p. 1609. Neque praeter rem Triados sanctissimae doxologia nostra Seraphico isto hymno niti, nostris creditur: quum argumenta sint inuicta, meritoque indubia, quae, aliter uerba prophetica accipi, haut quaquam fi-  
nant.



nant. Docetur Grammaticis, formari penes Hebraeos superlatiuum, si positiuus continuo geminetur; sed ubicumque triplex uocis repetitio deprehendatur, sine superlatiuu nuda notatione, de tribus realiter distinctis sermonem esse. Quae neruose exponit celeb. *D. I. A. Danzius*, ô *meyas*, interpret. §. 14. p. 16. Vbi et *Rabbinos* hactenus confessores adducit, et ad loca in contrarium obuerti solita respondet. Summa responsorum haec est: Ierem. 7, 4. templo DOMINI ter nominato, respici ad uestibulum, templum, et fanum; fatente *Ioseph. Kimchio*, citante filio Dauide. Porro Ierem. 22, 29. indicari tres Israeliticae terrae partes, Iudaeam, Transiordanensem regionem, et Galilaeam; dicente *Raschio*: Deniq; Ezech. 21, 32. innui tres reges, quos Nebucadrezar ab imperio Iudae remouit, Ioiakimum, Ioiachin, et Zedekiam; docente *Abarbenelo*.

§. XIII.

Palam ex istis fit, non immerito litterae propheticæ inhaesisse Theologos orthodoxos: quamuis neque unum hoc sit, quò fides, et Iesaiani oraculi interpretatio fulcitur. Ex collato quippe *V. et N. T.* firmissimum hoc nascitur argumentum: Cuius gloriam Iesaias uidit, chorusque seraphicus hymno suo celebrauit, ille est uerus, laudibusque summis euehdus DEVS. Atqui gloriam non modo Patris, sed et Filii, Iohan. 12, 41. et Spiritus sancti, Act. 28, 25. Iesaias uidit, chorusque seraphicus hymno suo celebrauit. Ergo Pater, Filius, et Spiritus sanctus est uerus ille, laudibusque summis euehdus DEVS.

§. XV.

Id quod erat demonstrandum, pro doxologiae ecclesiasticae cana antiquitate, maximaque dignitate; pro genuino etiam, et natiuo, uerborum Iesaiæ captu ac intellectu

tellectu. Quorum in gratiam adscribam, quae libro I. de Trinitate, cap. 3. *Flaccus Alcuinus* sub A. C. 780. clarus, sic scripsit: *Hanc quoque Trinitatem Personarum, atque Unitatem naturae, Propheta Esaias, reuelatam sibi non tacuit, cum se dixit Seraphim uidisse clamantia: Sanctus, Sanctus, Sanctus DOMINVS DEVS Sabaoth, Vbi prorsus in eo, quod dicitur tertio Sanctus, Personarum Trinitatem; in eo uero, quod semel dicitur Dominus Deus Sabaoth, diuinae naturae cognoscimus Unitatem.* Idem prorsus dixit, aliis uerbis, sub A. C. 412. *Cyrillus Alex.* in Iesaiam, lib. 1, orat. 4.

§. XVI.

De N. T. libris, quis, consentanea ecclesiasticae huic doxologiae continere ac enunciare, dubitet? Non minor N. T. lux, quam ueteris: neque minus annotari doxologiae promerentur, diuinaeque celebrationis formulae, sanctis angelis, Deique hominibus, sollemnes, ex Luc. 2, 14. Roman. 9, 5. Philipp. 4, 20. 1 Timoth. 1, 17. et similes.

§. XVII.

A scriptoribus biblicis ad ecclesiasticos auctores pergo, eorundemque cum hymno *Gloria Patri* harmoniam, prorsus concinnam atque mirandam, considero. Non autem de neotericis potissimum cogito, sed de prioribus illis, Christi et Apostolorum seculo propioribus, Synodoque Nicaena uetustioribus: ut ne quis testes aduocatos, *καὶ ἄλλοι κἀπὸν* natos, aduersarius cauilletur. Quod dum aggredior, non ero prolixior circa quaestionem, captiosam illam et infidiosam, *de Patrum Antenicenorum fide*; quos fere, Deitatis aeternae, Filii Spiritusque sancti, osores et calumniatores, fecisse secum, aut sentiunt, aut dicunt, optantque. Suffecerint, quae hanc in rem produxit celeb.



leb. D. C. M. Pfaffius, introductionis in histor. theol. litt. lib. 2o p. 309. et strenue egit B. D. Calovius, Socinianorum et Antitrinitariorum malleus, *Dispp. Roschbiens.* p. 199. seqq. Valeant Daniel Zovickerus, Stephanus Curcellaenus, Dionysius Petavius, P. D. Huetius, Io. Clericus, similes; qui Patres Antenicænos id iam fuisse professos, quod Arius post euomuit, persuadere bonis mentibus discipiunt. Satis, opinor, his fecere, A. Calovius, Samuel Gardinerius, Georgius Bullus, alii. Neque his immorabor.

§. XVII.

Nominabo potius Antenicænos, qui de mysterio Trinitatis sobrie senserunt, et scripserunt: iisdemque fere usi sunt verbis, quae extant in *Gloria Patri*. Concilio igitur Nicaeno, quod coactum est A. C. 325, tempore fat multo priores sunt, quos nunc appello testes, *Clemens Romanus*, Polycarpus, Dionysius, et *Clemens Alexandrinus*. Ad A. C. 65. refertur *Clemens ille Romanus*, Pauli gentium doctoris comes et commilito, in eorum relatus numerum, quorum nomina sunt in libro uitae, Philipp. 4, 3. qui patrem tribus in Deitate personis gloriam his tribuisse verbis: *Ὁ θεός, καὶ ὁ κύριος Ἰησοῦς χριστός, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον* h. e. *Vivit DEVS, et Dominus Iesus Christus, et Spiritus sanctus*; legitur apud *Basilium M. de spiritu sancto ad Amphiloichium* libro, c. 29.

§. XVIII.

Quo simul loco idem Basilium, praeter alios nominat *Dionysium Alexandrinum* A. C. 254. Episcopum celebrem, Origenis discipulum; qui, contra Sabellianos dimicans, in divinis quidem et essentiae differentiam, et potestatis gloriaeque inaequalitatem, memorante VV. Cauio, asseruisse visus est, recte tamen his sententiam dixit,

quae Basilius annotauit, uerbis: *His congruenter et nos, etiam forma regulae a senioribus, qui ante nos uixerunt, accepta, cordibus uocibus cum illis gratias agere, ac nunc etiam scribere desinemus: DEO autem Patri, et Filio Domino nostro Iesu Christo, cum sancto Spiritu, gloria et imperium in secula seculorum, Amen.*  
 τῷ θεῷ πατρὶ, καὶ υἱῷ καὶ κυρίῳ ἡμῶν ἠσοῦ χριστῷ, σὺν τῷ ἁγίῳ πνεύματι δόξα καὶ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰῶνων ἀμήν.

## §. XX.

Similem exhibet doxologiam *Alexandrinus Clemens*, A. C. 192. clarus, quando tertium Paedagogi librum, cap. VIII. hunc in modum finit: *Da nobis, ut laudantes gratias agamus, laudemus unum Patrem, et Filium. Filium, inquam, paedagogum et magistrum, una cum sancto Spiritu; qui unus est omnia, in quo omnia, per quem omnia unum, per quem est quod semper est; cuius membra omnes, cuius sunt gloria, et secula; qui est undiquaque bonus, undiquaque pulcher, undiquaque sapiens, undiquaque iustus. Cui gloria nunc et in secula seculorum, Amen.* Sed authentica graeci textus uerba erunt forte clariora: *ευχαριστοῦντας ἀνεῖν, ἀινούντας εὐχαριστεῖν τῷ μόνῳ πατρὶ καὶ υἱῷ, υἱῷ καὶ πατρὶ, παιδαγωγῷ καὶ διδασκάλῳ υἱῷ, σὺν καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι πάντα τῷ ἐνὶ ᾧ τὰ πάντα, δι' ὃν τὰ πάντα ἐν' δι' ὃν τὸ αἰεὶ ὄν μέλη πάντες ὄν δόξα, αἰῶνες πάντα τῷ ἀγαθῷ πάντα τῷ καλῷ πάντα τῷ σοφῷ τῷ δικαίῳ τὰ πάντα ᾧ ἡ δόξα καὶ γὰρ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας ἀμήν.*

## §. XXI.

Denique haut paullo antiquiorem aufcultemus, licet, *Polycarpum*, Iohannis Apostoli discipulum, et sub Antonio martyrem, aetatis suae octogesimo sexto impositum rogo, gladio confossum, tandemque in cineres redactum, Smyrnensem A. C. 108. Episcopum; quem *epistola Smyrnesorum* ap. Euseb. Hist. Eccles. lib. 4. cap. 15. iamiam  
 com-

comburendum testatur his quoque uerbis DEVM orasse :  
 διὰ τοῦτο καὶ περὶ πάντων σε αἰνῶ, σε εὐλογῶ, σε δοξάζω, διὰ τοῦ  
 αἰωνίου ἀρχιερέως Ἰησοῦ χριστοῦ τοῦ ἀγαπητοῦ σου πατρός· δι' οὗ σοὶ  
 σὺν αὐτῶ ἐν πνεύματι ἁγίῳ δόξα, καὶ νῦν καὶ εἰς τοὺς μέλλοντας αἰῶ-  
 νας· ἀμήν· Quae et ipsa, paucis mutatis, doxologian no-  
 stram ecclesiasticam antiquis DEI ueri cultoribus docent  
 fuisse usitatam.

§. XXII.

Haec uero longe faniora sunt aliis, quae, ipsosmet  
*Apostolos, tempore assumptionis Mariae uirginis congregatos,*  
 nostrum Gloria P. et F. et S.S. decantasse fabulatur,  
 quaeque de Graecorum libellis quotidianarum precum  
 translata, edidit *Ioachimus Camerarius, disputatione de precibus,*  
 edita Argentor. 1560. p. 22. Mitto haec, et alia; nouorum  
 tandem aliquando *Ecclesiae Poetarum*, et sacrae musices a-  
 matorum, breuiter mentionem ideo facturum, quod ne-  
 mo in his fuit, aut est, qui non *Gloria Patri* uel latino, uel  
 nobis uernaculo, idiomate aut decantarit, canatque, aut  
 enarrandum sibi sumpserit. Aperit heic sese campus, in  
 commemorationem hymnophilorum ac hymnopoeco-  
 rum digrediendi; sed uiae quaero compendia, et studeo  
 breuitati. Nominatim quospiam illorum commemoratu-  
 ro, fecere otium V. C. *Io. Mart. Schamelius in Cantionali*  
*Naumburgensi*, et similes, qui syllabum *Poetarum sacro-*  
*rum, Germanorum praecipue dederunt.* Et quis nescit,  
*Luthero praecentore, piisque aliis concinentibus, nostrum*  
*istud Gloria Patri saepissime exaudiri, u. c. Ehr sey dem*  
*Vatter und dem Sohn / ic. Lob / Ehr und Preis sey*  
*Got / ic.*

C

§. XXIII.

§. XXIII.  
ARTICVLVS SECVNDVS DOGMA-  
TICVS.

**O**Mnino doxologiae huius, in accurata dogmatum cognitione, et genuino Dei cultu, usus haut poenitendus cernitur. Ante omnia heic meditabor ea, quibus religiosae *adorationis obiectum* statuitur, *ueraque ratio* commendatur. Quantum ad rationabilem DEI cultum, rectamque de Trinitatis mysterio sententiam, alias solemnis DEI celebratio valeat, pulcre *Iohannes Damascenus, epistola ad Iordanem Archimandritam, quae extat, de Trishagio*, edisseruit. Video autem, nostrum illud supplex *Gloria Patri* non modo adorandum proponere nobis summum DEVM, sed et, quis ille sit, quo nobis nomine ueniat, accurate inculcare. Qua in re insignis christianae doctrinae perfectio, et excellentia, conspicitur. Nam, DEVM mundi opificem esse celebrandum, etiam *si ego* norunt: unde fit adeo, ut *Iudaei* pro omnibus eundem donis et bonis laudandum, dignaque gratiarum actione honorandum doceantur et sentiant, quod ex *Mischnico tractatu Berachoth*, et ex libellis precum Iudaicis, constat; quamuis re quidem uera, quid adorent, hodie nesciant. Vnde *Mohammedanorum* uox est: *Laus DEO, domino mundorum uel creaturarum, miseratori, misericordi, regi diei iudicii, te colimus, et te in auxilium imploramus; in Corano Sur. 1. ex uersione Ludouici Maraccii.* Quamuis et ipsi uerum mundi fabricatorem, omnis boni fontem, iudicem generalem, sua quidem culpa, nesciant et frustra colant. Nobis ergo, post sacras scripturas, hoc dicit Ecclesiae hymnus, quod commode sic profiteamur in *Symbolo Athanasiano*: *Fides autem catholica haec est, ut unum DEVM in Trinitate, et Trinita-*  
tate

tem in Unitate ueneremur. Quamobrem, in precum nostrarum sacrarumque carminum epilogo, ad eum fere modum definit oratio nostra, quo expositio in symbolum Apostolorum, in Cypriani et Hieronymi operibus obuia, et male Cypriano adscripta, ab Aquileiensi *Ruffino* clauditur: *Per Christum Dominum nostrum, per quem est DEO Patri omnipotenti, cum sancto Spiritu, gloria et imperium in secula seculorum, Amen.*

§. XXIII.

Enimvero DEVM esse *τρισυωτάρον*, cui hymnos ecclesia suos accinit, non alium; ex *Gloria Patri*, et legitimum horumce uerborum tenore, curatius tenendum est. Itaque de gloria sedulo cogitandum, quam DEO nostro tribuimus. Est autem *gloria* uel *actio gloriosa*, et laude digna; qualis semper DEO relinquitur, si uel nemo mortaliū admiranda eius opera concelebraret: uel est *incursata*, grataque *supremi Numinis, diuinorumque beneficiorum, recordatio atque commemoratio*; et hanc nominat piorum coetus gloriam, quam DOMINO debemus. De gloria *M. Tullium* duos scripsisse libros, quorum hodie nihil integri exstat; et nemo ignorat, et ipse meminit, de officiis libr. 2. cap. 9. ubi et doctrinam de gloria attingit, et, quantum ad mouendos hominum animos sufficit, iterata scriptione insinuat. *Summa igitur, dicente Tullio, et perfecta gloria constat ex tribus his: si diligit multitudo: si fidem habet: si cum admiratione quadam honore nos dignos putat.* Quumque gloria *freuens sit fama cum laude*; ad DEO debitam haec omnia gloriam, applicare est facillimum. DEO certe, summe bono et benefico, amorem deberi, quis non intelligit? DEO, qui existimari potest iustissimus omnium, sapientissimus, fidissimus, uno uerbo perfectissimus, ita fides merito habetur,

betur, ut nulla fraudis obtineat, iniuriaeque suspicio. Denique infinita sunt, quae magna in DEO, et praeter opinionem mortalium pie animaduertimus; quae igitur admiratione non afficeretur is, qui omni caret dedecore, et admiranda facit solus atque ueri nominis miracula? Ex quibus utique conficitur, nihil nos de creatore, liberatore, sanctificatore nostro, cogitare posse, quin miram DEO ubiuis actionem, nobis agendi eidem gratias gloriam, quando DEI gloriam enarramus, relictam esse intelligamus. Psalm. 111. 150. Rom. 11, 33. 36. et al.

§. XXV.

Perpendam et reliqua Ecclesiae uerba: *Sicut erat in principio* K. T. E. Sed quoniam aliud dicitur *principium aeternitatis*, Ioh. 1, 1. aliud temporis, Genes. 1, 1. quaeri potest: utrum heic temporis, an aeternitatis in principio gloria DEO tributa enuncietur? Equidem nullus dubito, accommodata esse doxologiae uerba ad illam DEI celebrationem, de qua Iobum commonefacit effatum DOMINI super cantico, iubiloque matutinarum stellarum, ac omnium DEI filiorum h. e. angelorum, Iob. 38, 7. Scilicet DEI gloriam enarrare statim, ex quo condita sunt, coelum ac terra, cum omnibus in mundo creatis. Psalm. 19, 2. Psalm. 148. Sirac. 39, 30. sq. orat. trium puer. aut uiror. u. 52. sq. Porro *nunc* etiam gloriam DEO reddunt, quotquot in populo sancto officii sui sunt memores: Psalm. 34, 4. Psalm. 48, 2. idque *semper* fieri par est: 2 Theff. 2, 13. 1 Theff. 5, 17. quando simul certi sumus, DEVM a sanctis coelitibus *in secula seculorum*, in secula infinita, in aeternum, gloria affectum iri; quod ex formula doxologiae biblica, supra fuit ostensum. De *Amen*, post *Nic. Fuller.* miscellan. sacr. lib. I. cap. 2. *Aug. Pfeiffer.* de Antiquit. Hebr. et alios

alios nihil addo, praeter haec *Iustini M.* apol. 2. uerba: τὸ δὲ αἰμὴ τῆ ἐβραϊδὶ Φωνῆ τὸ γένοιτο σημαίνει. comp. i Chron. 17, 23, 24. Ies. 65, 16. Apocal. 3, 14. Iohan. 16, 23. i Iohan. 5, 14. 15. Obiter hoc loco annotauerim, ex *Gloria Patri* promptam esse *interpretationem uerborum cantici*: **Tun dancset alle ic. als es ursprünglich war.** Vbi aliqui, per me, legant: **als Er ursprünglich war / uel: als der ohn Ursprung war / uel alio quolibet modo**, coll. Ps. 90, 3. quum mihi credibile sit, auctorem non aliud carmine suo dixisse, quam: *Gloria DEO*, sicut erat in principio, primaque ab origine mundi. Neque adducerem talia, nisi subinde essemus mouendi, nodum in scripto ut ne quaeramus, aut in uerbis Poetarum etiam ecclesiasticorum temere quidpiam immutemus.

§. XXVI.

Congrua haecenus dictis est quaestio: *utrum adoratione et hymnis unam sine altera Deitatis personam celebrare fas, piisque sit?* Ad quam responderunt *D. Frid. Balduinus, de cas. consc. lib. 2. cap. 5. Casu 4. Andreas Prückner. in Manual. p. 5.* cum aliis. Possunt nimirum preces ferri in unam Deitatis personam, reliquis non nominatis; numquam autem rite concipiuntur uota, precesque, una alteraque illarum exclusis. Et, qui Patrem u. c. adorat *distincte*, Filium simul et Spiritum sanctum adorat *unite*; quoniam hi tres una sunt essentia, una colendi ueneratione: ut tamen *distincte* Pater, ut creator, protector, et defensor noster, Filius, ut redemptor, Spiritus, ut sanctificator, inuocari queat, propter appropriationem operum ad extra satis notam.

§. XXVII.

Praetereundum autem non est, *hymnum ecclesiae Gloria Patri planam, solidamque esse consuetudinem quorumlibet*

bet Deitatis CHRISTI *hostium*, et *pneumatomachorum*. Quod si enim gloria diuina, et religiosae celebrationis cultus Christo pariter, et Spiritui sancto, competit: quis, salua pietate, DEVM summum esse non modo Patrem, sed Filium quoque, et Spiritum sanctum negaret? Ceterum τὸν ἁριστὸν θεοῦ διχῶν ὁμιλεῖν, h. e. Christo carmen tamquam DEO canere, *Christiani dicuntur Plinio*, apud Euseb. H. E. lib. 3. cap. 33. iungitque tres in Deitate personas hymnus ecclesiasticus. Quod nobis argumento est, non posse nisi heterodoxorum loco haberi, qui, cultum religiosum alteri praeter summum Deum posse communicari, et praestari, somniant cum *Socino*; aut, firmum ualidumque pro Deitate argumentum ex inuocatione deduci, non concedunt cum *Remonstrantibus*; contra Matth. 4, 10. Ies. 42, 5. Vid. S. R. D. G. G. Zeltneri nostri *Breuiar. controuers. cum Remonstr. p. 93. sq.* et de Socinianorum anthropolatris, celeb. Io. Frickii dissertatio περὶ τοῦ λόγου. Vlm. 1725. pag. 15. Hoc igitur merito notatum fuit in *Arianis*, quod noluerunt dicere gloria Patri et Fil. et Sp. S. sed potius: *Patri per Filium in Spiritu sancto*. Hoc etiam cum sanorum sermonum forma conciliare non potuere nostri, quod Iesum Christum esse summum DEVM numquam concessit, et tamen de licita, si non semper necessaria, eius inuocatione, contra prorsus improbantem Franciscum Dauidis F. *Socinus* disputauit, quod exstat in *bibliotheca Fratrum Polonorum*, Tom. 2, fol. 713. sq.

§. XXVIII.

Nihil quoque sani in ea deprehendo narratione, qua nobilis historicus, *Henricus Spondanus*, continuatione anal. ecclesiast. ad A. C. 1498. *Petrum de Aranda*, Episcopum Calaguritanum, Alexandri VI. P. R. magistrum domus, de Marrania et haeresi infamatum, ac conuictum memorat,



rat, orando dixisse tantum: gloria Patri, nec adiecisse: et Filio et Sp. s. adeoque, propter haec et alia, sententiam carceris perpetui tulisse. De reliquo ipsorummet Pontificiorum Angelolatriam, et Hagiolatriam, similiisque, in *Itaniis eorum* ubiuis obuia, me cum nostro iniustum redigere ordinem, et componere, haut posse, fateor. Sed neque illud, quod magnam cultus diuini partem in adoratione τῆς Θεοτόκου, sanctorum martyrum, et imaginum positam esse penes ecclesiam hodie graecam; asserit et probat B. Wolffg. Gundling. ad D. Laurentii V. D. M. Norimb. ad *Eustratii Iohannidis Zialowski* Rutheni breuem delineation. Ecclesiae orientalis gr. p. 33. edit. Norib. 1681. Comp. D. I. G. Dannhaer. Colleg. Decalog. disp. 2. §. 20. Nihil profecto analogiae fidei conuenit, quando u. c. Petrus Canisius in paruo Catechismo scribit: *Licet sanctos colere et inuocare, non ad eum quidem modum, quo iubemur Deum colere et inuocare, tamquam Creatorem, et redemptorem, et largitorem bonorum omnium, at longe inferiori gradu, nimirum ueluti lectissimos Dei amicos, nostrosque apud ipsum intercessores et patronos.* Cui, cum sociis conformia scripsit Io. Eckius in *Enchiridio* locor. commun. aduersus Ludderanos, cap. 14. Nihil agunt, quando illepidum inter Latriam, dulia, et Hyperdulia, discrimen nobis opponunt, et ex Augustino probare pergunt. Nihil, inquam, talia quadrant ad *Gloria Patri*; quoniam Scriptura unum DEVM nobis inuocandum et adorandum sapissime commendat; dein non nisi unicum mediatorem Christum agnoscit. Acedit, quod longe aliud docuit Augustinus, quam hodie pontificii, de dulia et Latria; qui Hyperdulia prorsus nesciuit; demonstrante Dan. Chamier in epp. *Iesuitic.* p. 42. sq. Scilicet Augustinus Latriam definit qua sacra facimus et sacrificamus, uel aliqua nostra, seu nos ipsos, religiosis ritibus consecramus; *Duliam* uero

uero describit, qua serui dominis suis subiecti esse debent, Qq. super Leuitic. num. LXXVI. qua item iubemur per caritatem seruire inuicem, qua denique sanctos in hac uita colimus ac diligimus. Quae religiosae sanctorum uita functorum adorationi, non patrocinari; palam est.

## §. XXVIII.

## ARTICVLVS TERTIVS MORALIS.

**A**d laetiora, Deoque et populo Christiano digniora, deuenio; ad amoena Moralis Theologiae uireta, saluberrimamque de uerorum Dei adoratorum officio doctrinam, pro doxologiae ecclesiasticae argumento praecipue commendandam. Cohortatur ecclesiasticus hymnus Christianum hominem, ad externam publicamque DEI glorificationem haut quaquam intermittendam, negligenterque exercendam. Externum Dei cultum, adeoque *glorificationem externam, non interlicita, sed necessaria debere referri*, recte statuitur; quidquid in contrarium, post *Naturalistas et Fanaticos*, aliis uideatur: quorsum legendae *D. V. E. Loescheri praenotiones*, p. m. 65. Cunctis enim, tam doctis quam indoctis, natura quidem est insitum hominibus, ut DEVM glorificare cupiant; dicente *Basilio M. sermone de Fide*. In diuinis autem Scripturis, saepe commendantur piorum exempla celebrantium omni studio DEVM, atque ad imitandum proponuntur, Matth. 15, 31. Sirac. 50, 24. sq. et alias.

## §. XXX.

Absoluitur autem *externa Dei glorificatio*, hymnis potissimum, et uarii generis carminibus, piisque precibus, et uerbi praedicatione, cum Sacramentorum dispensatione. 1. Corinth. 11. Matth. 18, 20. Act. 2, 1. Act. 3, 1. Luc. 4, 16. Vnde felicitatem enarrans eius matrimonii, quod

quod ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, angeli renunciant, Pater noster habet, *lib. 2. ad uxorem Tertullianus: sonant inter duos Psalmi et hymni, et mutuo prouocant, quis melius Deo suo cantet.* Comp. *Iustin. M. apolog. 2. et Eusebius oratione de die dominico p. 48.* de Lutheri autem entheo in canticis spiritu, *Abr. Scultetus, annalium euangelii renouati anno 1530. fol. 155.* Psalmis certe, et hymnis, sacrisque odis, haut parum multa tribuit Apostolus, *Ephes. 5, 19.* Et noti sunt hymni *Clementis Alexandrini, Synesii, Prudentii, Sedulii, Damasceni, similibus.* *Melodi Graecorum, longo et denso agmine, ordine alphabetico, recensentur a cel. D. I. A. Fabricio, Bibl. Gr. lib. 5. cap. 41. p. 130. sq.* De hymnis pauca adiciam, quia nostrum istud *Gloria Patri* uerum nominis est hymnus. *Hymnus specialiter DEO dicitur; ut est apud Ambrosium, offic. lib. 1. cap. 45.* Quod quam concinne pronuncietur, testem cito *Gerardum Listerium*, qui in *Moriae encomium Erasmanum* p. 66. ex *Harmonio: Hymnus, inquit, est Deorum, encomium autem hominum.* Et *Iul. Caes. Scaligerum*, qui poetices p. m. 411. hymnum finit Dei celebrationem, uariaque hymnorum genera considerat. Nec opus est, probare, hymnum apud Graecos fuisse carmen, falsis numinibus primum et proprie dicatum: quod docent *Homerici hymni, Callimachi item, et similes.* Nobis, pro perpetuo pietatis exercitio, in promptu sunt hymni. Conferri huc meretur celeb. *D. I. A. Fabric. biblioth. Gr. lib. 2. cap. 2. p. 265.* nec minus *B. D. Arnold. Mengerling. informator. consc. die uisit. Mar.*

§. XXXI.

Et quum uaria sint carminum sacrorum et ecclesiarum genera, ex omnibus saepe modulabimur aut decantabimus *carmina eucharistica*: quorum usus, ob innumera perpetuaque Dei beneficia, semper obtinet. Sic enim non eadem nobis mens erit cum iis, qui uix umquam de pluribus Dei donis serio cogitant, meditabundi semper, et cogitabundi,

D

bundi,

bundi, neque contenti praesentibus, unde aut nihil canunt, aut querula semper uoce paruitatem DEO, et paucitatem concessorum bonorum, indignamque suam in his terris fortem, obiiciunt, et quasi exprobrant. Non sane ad exemplum *Mosis* et *Miriam*, *Deborae*, *Dauidis*, et similium. Concinnat uero Christianus Episcopo Ptolemaidis *Synefio*, qui sic hymno X. modulatur: μέγιστος δαίδαλος ψυχῶν πατρὸς, πατρὸς γυρίων, πατρὸς σὺν μεγάλῳ, πνεύματι ἁγίῳ. *Cantam carmina animarum medico, medico corporum, Patri simul excelso, Spirituique sancto.*

§. XXXII.

Maneat uero sua laus *hymnopoetis* et *hymnophilis Christianis*; commentatoribus quoque, et *Glossatoribus cantionum ecclesiasticarum*, quales non haec modo nostra, uerum superior quoque aetas, tulit plurimos, de quibus *Nicolaus Rebhanus, de Concionatore*, p. 125. 126. ubi nobis *Augustinum, Basilium M., Mencilium, Spangenbergium, Strigenitium, Rothmalerum*, aliosque canticorum ecclesiasticorum pro cathedra expositores nominat. Quo etiam loco, de retinendis, nec temere nouandis, ecclesiae carminibus; uerbo monitum adiecisse post magnos ecclesiae nostrae doctores, operae pretium fuerit. Circa noua enim cantica, quam cautissime uersandum, *B. Spenerus* diligenter praecepit; u. *Theol. Bedenck.* p. 5. p. 562. Et nouimus, quam parum famae, quam parum coetui sacro, prospexerit *Paulus Samosatenus*, quando, uel in Paschali solemnitate, compositos in Christum hymnos taceri, noua e contrario in Samosatenum elaborata carmina decantari a mulierculis, homo uanissimus uoluisse, legitur ap. *Euseb. H. E. lib. 7. cap. XXX.* Ut de recentioris aetui canticis, non sine discrimine laudandis, admittendisue, nihil addam.

§. XXXIII.

De *musica artificiosa*, quae uocis uaria modulatione sit, fidibusque, pneumatico organo, et instrumentis affabre compositis ac belle resonantibus; *strum* in publicis Christiano.

*rum concionibus adhiberi debeat, et usum obtineat? aduersus Vdalicum Cinglium, et similes, quaesitum est. Equidem passim obuium talis musicae abusum non probo; uerum tamen in se praecipuum Dei donum, alendoque pio mortaliu affectui aptum natum, non puto spernendum: Neque enim improbari Deo in uniuersum hodie posse, quod in Dauide, in Leuitis, celebratisque cantoribus sacris olim non displicuit, credibile est: quemadmodum parum quoque interest, si quis *Gloria Patri* assa uoce recitet potius quam cantillet, siue plura simul musicorum artificia caste accedant. Vbi etiam, corde potius quam uoce nobis decantantibus, musicae sacrae concedimus, *daemona quod pellat, quod ad horrida regna remittat.* Vid. B. Georg. Koenigius noster, heptade casuum conscientiae, cas. I. p. 24. Quam in rem ualeat *Basilii M. in Psalm. 150.* hoc scholion: *Omnia organa recense, et per omnia melodiam DEO offerre hortatur. Sed quemadmodum Iudaei omnis generis organis, ita nos omnibus membris nostris DEVM laudare iubemur. Et quoniam omnem creaturam, et omnia organa quibus hymni dicebantur, ad hymnodiam excitauit: iam ad omnem naturam et quamcunque aetatem conuertitur, et ad hymnodiam eos ex doxologiam commouet.* Opp. Tom. 3. fol. 359. edit. Basil. 1565.*

§. XXXIII.

Et quoniam haeretici olim *Gloria Patri* non sine uariatione ac deprauatione cantarunt, canique uoluerunt; tangent quaestionem: *An in gratiam aduersariorum et heterodoxorum mitti, mutarique, cantiones ecclesiasticae possint aut debeant?* Respondeo, non esse omittendas, multo minus uariandas, peruertendasue; quia in DEVM peccare imperantibus, non est obediendum, Act. 5. 29. non sine temperamento tamen haec fieri posse aut debere in Ecclesia pressa, ut in prudentiae regulas ne impingamus. uid. *D. P. I. Speneri consilia part. 3. p. 663. D. I. L. Hartm Pastoral. lib. 3. c. 51. p. 978. sq. D. Jo. Fecht. instruet. pastoral. cap. 18. p. 191.*

D 2

§. XXXV.

§. XXXV.

Maximi autem momenti hoc est, uti diligenter nobis, inter cantandum quoq; , *caueamus ab opere, quod uocant, operato*: damnato uidelicet uel ab ipsa ratione, quoniam casta DEVS mens est, et casta uult mente uocari; damnato item ab omnibus sanae doctrinae interpretibus; damnato denique ab omni Scriptura sacra, uti in reliquis pietatis exercitiis, sic *in hymnis*: Psalm. 50, 8. Hof. 6, 6. Mich. 6, 6. feq. Romani. 2, 25. 29. Amos 5. 23.

§. XXXVI.

EPILOGVS.

**N**Ostrum igitur GLORIA PATRI ab antiquis Patribus *hymnus glorificationis* dicitur, cuius *auctorem Flavianum Monachum* Antiochenum facit *Nicephorus*; alii alium nominant; *a Nicaena Synodo* alii institutum asserunt; quum uetustiores esse, et *ab Apostolis traditum*, alii demonstratum eant. Quorum conciliandi sententias rationem, ex superioribus est repetere. *Mutauisse hymnum* istum primus fertur *Aëtius*, Ariani instaurator uaferrimus, in haec uerba: *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto*. Additamentum, *sicut erat in principio*, doxologiae huic accessisse *Baronius* putat Nicaeni Concilii decreto, *aduersus Arianos*, qui dicebant de Filio: *erat quando non erat*; alii antiquius censent, et ad *Tertullianum de spectaculis* Cap. XXV. prouocant. Lege *Io. Bonam Cardinalem, rerum liturgicar. libro 2. cap. 3.* Fruamur sane bono nostro. Seruetur doxologia integra, ex qua legitimorum uerborum formula DEVM summum caste ueneremur. Voto finiamus, ex *Ioh. Chrysoftomo, de Sacerdotio* libr. 3. cap. XV. §. 285.

ΔΟΞΑ ΟΙ ΚΥΡΙΕ ΔΟΞΑ ΟΙ

Gloria sit PATRI, sit NATO gloria, SANCTO  
Gloria SPIRITVI,

Vt nunc est, ut erit, fueratque ab origine rerum:

GLORIA SVMMA DEO.

ΕΥΤΑΥΘΑ ΔΕ ΕΣΤΙ Η ΤΕΛΕΥΤΗ 2. Maccab. 15, 40.

20 33




ed 33.





01 A 6623

ULB Halle  
002 934 213  
ULB Sachsen-Anhalt  
Ausgaben 3  
Datum: 2008





15  
O. Δ.  
DOXOLOGIAN ECCLE-  
SIASTICAM

GLORIA PATRI  
SVB FESTVM SS. TRINITATIS

D. IIII. IVNII  
A. ER. CHR. c1o1ocXXVII

*PRAESIDE*

IOH. BALTASARE BERNHOLD  
S. THEOLOG. DOCT. ET PROF. PVBL.  
FACVLT. THEOL. H. T. DECANO

*IN ACROATERIO THEOLOGICO*

DISPVTABIT

*RESPONDENS*

IOH. GEORG. FRIDERICVS ROSTEVSCHER  
ROTENBVRO FRANCVS.

*ALTORFI*

TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.

